Iter Australe.

CURATUS quidam lassatus Itineribus ad Urbem SARUM, fungendi Officii causa, crebro repetitis, de labore nimio, Mercede autem vilissima, conqueritur.

DUM petit undosam *Vates* miserabilis urbem,
 Munere functurus Presbyter ille suo :
Implevisse ferunt mœstis ululatibus agros,
 Garrula dum similes edidit *Eccho* sonos.
Ah! quoties sævis sum tempestatibus actus?
 Uvidus Hyberno rore capillus erat.
Et nivis irato veniebant vellera Cœlo,
 Et madidus gelido grandinis imbre fui.
Interdum fundo miseras, pro more, querelas;
 Sed *Zephyri* vacuos verberat aura sonos!
Unâ *Pieridum* propero comitante sodali,
 Quæ mihi solamen sæpe doloris erat.
Linquitur à tergo quoties mihi * *Sylva Bovina*,
 Et moles in quâ gaza reperta fuit?
Alta procul quoties † *Templi* fastigia cerno,
 Quæ nostræ non sunt ultima meta viæ?
Infamesque prius monstris furialibus * *Ædes*,
 Quàque sonus, novi, bellicus antè fuit.
O! quoties *Veteris* † *Castelli* mœnia rupta,
 Et dextrâ video * *Pendula Saxa* meâ!
Planitiem † *Campi* quoties transivimus illam,
 Testis erit pedibus semita trita meis.
Quà *Dryades* teneræ, montanaque numina saltant,
 Luminibus nota est cespitis herba meis.
Quinetiam frutices, positæque in limite metæ,
 Ipsaque sunt oculis tubera nota meis.
Sæpè Ego jam notis pastoribus obvius ibam:
 Lanatis ovibus cognitus ipse fui.
Pastor erat (memini) lanâ velatus ovinâ:
 Pelle Canis propriâ tutus ab imbre fuit.
Servabat teneros *Catulus* fideliter agnos,
 Dùm Dominus somno fortè solutus erat.
Hîc Ego subridens tacitâ sum mente locutus,
 Dum dormit Dominus, servat ovile Canis.
Carne tuus, dixi, *Dominus saturatur ovinâ:*
 Nuda tuam poterunt ossa domare famem.
Fabula narratur, mutato nomine, de *Me*;
 Quem risi demens, ipse Catellus eram.
A lævâ quoties *Ludgersi* linquitur * *Aula*,
 Quà celeres torquet mobilis Aura † *Molas*:
Vela Molæ quoties sine fine volantia cerno,
 Occurrunt animo talia sæpe Meo.

* *Oxen-Wood.*
† *Salisbury-Spire.*
* *Mr.* Mum *Parson's House, where Drums were heard.*
† *Old-Castle.*
* *Stone-henge.*
† *Salisbury-Plain.*
* *Ludgers-Hall.*
† *Wind-Mills.*

Ipse mihi videor Lapidem versare molarem:
 Difficilis labor est & sine fine meus.
Vestra movent *Zephyri* volventia vela secundi:
 Fortunæ adverso flamine pulsus eo.
Nunquam fixa manes, sed ad omnes mobilis auras;
 His immobilior montibus ipse fui.
Seu spirent *Zephyri*, seu de regionibus *Euri*
 Diversis, semper volveris axe tuo.
Cunctis flaminibus vester convertitur axis:
 Circumtorqueri nescius ipse fui.
Non bene conveniunt nostræ *Romana* carinæ
 Flamina, quæ multis carbasa tensa ferunt.
Nec prodest nobis violentior aura *Genevæ*:
 Ingenio pugnat flatus uterque Meo.
Omnibus ut ventis totæ laxentur habenæ,
 Flaminibus nullis lintea nostra tument.
Dum torpent alii, sors est mihi plena laboris;
 Et magis *Æoliis* irrequieta Notis.
Præmia pro tantis quantilla laboribus opto?
 Sufficiunt votis præmia parca meis.
Non Ego Divinæ virtutis semina spargo,
 Ut mihi Terrestres accumulentur opes.
Vestitum victumque peto; non qualia Regum;
 Nec peto delicias, *Sardanapale*, tuas.
Templa vorax animo non unquàm plura poposci:
 Sufficiat voto *Pyramis una* Meo.
Sed mihi fata negant, vacuus quod postulet a
 Quodq; *Vadum* celebro de * *Fame* nomen.
Esuriunt Musæ: Virtuti præmia nulla
 Contingunt: Vacuo ventre *Thalia* perit.
Immemor (heu!) Fidos Ecclesia temnit amantes,
 Spernit & Officium facta superba Meum.
Nil Me Templa juvant: Ego sum periturus ad aras!
 Heu! Nullam miseris Ara ministrat opem.
Ara prius miseris fidum præbebat Asylum:
 Ante Aras (Superi!) sum moriturus Ego.
Nos miseri pecudes curavimus: Ille totondit:
 Nostri Mercedes ille laboris habet.

JOS. PERKINS, A.B.

LONDINI, Impensis AUTHORIS, *Anno Dom.* 1688.